

Wk. 242
30



AK. 292

IV, 279

AD AVDIENDAM

ORATIONEM ADITIALEM

D. XXXI AVG. MDCCCLXXXII

NOVI MVNERIS CAVSSA HABENDAM

RECTOREM A CAD. MAGNIFICVM

CELSISSIMOS PRINCIPES

ILLVSTRISSIMOS COMITES

VTRIVSQVE REIP. PROCERES GRAVISSIMOS

COMMILITONES GENEROSISSIMOS

ET NOBILISSIMOS

HUMANISSIME INVITAT

IO GEORGIVS ECCIVS

MORAL. ET POLIT. PROFESSOR

Differitur

de vita Antecessoris in munere

B. HENRICI GOTTLIEB FRANKII



Quum sublato e viuis Henrico Gottlieb Frankio, se-
ne venerando et optime merito, in eius locum
succedere me iusserit Serenissimi Principis Electoris no-
stri munificentia: nihil profecto mihi magis annitendum
esse arbitror, quam ut in eodem officio administrando
vestigia viri doctissimi et integerrimi, strenue pro viribus
legam, eiusque virtutes maximas, assiduitatem et fidem
in obeundo munere, candorem in agendis negotiis, di-
ligentiam in perquirendis rebus ignotis, imitando refe-
ram: id quod etiam, Deo annuente, me facturum et
spondeo, et confido. SENECA in quodam loco *) di-
cit: *Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos
habendus, ut sic, tanquam illo spectante, vivamus, et
omnia, tanquam illo vidente, faciamus.* Haec Senecae
verba, utilissimum consilium dantis, nescio quo modo

A 2

reuo-

*) Epist. XI.

IV

reuoant mihi identidem in memoriam imaginem beati viri, animumque vellicant, vt non modo ipse eius exemplum sequar, sed etiam iuuenibus nostris, litterarum studiosis, ad imitandum proponam, his praesertim temporibus, quibus magna talium virorum penuria esse coepit, et maior indies metuenda est. Ita enim sperare possum, fore, vt, quemadmodum olim P. Scipio, et alii ciuitatis Romanae praeclari viri, cum maiorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem aiebant accendi *): sic nostrorum iuuenum animi, contemplanda viri doctissimi, diligentissimi, integerrimi imagine, acerrimis ad has eius virtutes imitandas stimulis incitentur. Quapropter cum in praesenti aliquid ex more maiorum esset orationi aditiali praemittendum, recte mihi sum visus facturus, si de viri huius vita et fatis breuem quidem, ob temporis et chartae angustias, ceterum accuratam narrationem exponerem. Et quidni usurpemus antiquum illum et pium ritum, qui vigebat apud Romanos, vt si quis virtute clarus obiisset mortem, filius superstes, si adultior et praefens esset, laudes eius pro rostris

*) SALLVST. B. Iugurth. c. 4.

rostris dicoret; si nullus superesset, idem praestaret pie-
tatis officium τῶν ἀλλων εἰ τις αὐτὸς γένεσις υπῆρχε, quis-
quis genere aut necessitudine proximus erat: ut POLY-
BIUS refert *).

Erat in fatis Academiae nostrae, ut prope intra
vnius anni spatium luctuosa nobis morte eriperentur viri
summi, quorum doctrinae et virtutis fama in primis Aca-
demiam apud gentes exteras illustrabat et nobilitabat, 10.
GOTTLLOB BOEHMIVS, CAROLVS FERDINANDVS HOM-
MELIVS, et IO. AVGUSTVS ERNESTI, in sua quisque ar-
te Roscius: quibus triumiris tanquam cumulus quidam
accessit, is de quo nunc scribere instituimus, HENRICVS
GOTTLIEB FRANKIVS. Quemadmodum enim illi in
historia, in iuris scientia elegantiore, in humanioribus
litteris et theologia, haud dubie principatum tenuerant:
ita hic vir meritissimus studium historiarum coniunxerat
cum iurisprudentia, non ea, quae lites in foro sectatur,
et in priuatorum caussis agendis occupata est, sed cum
illa nobilissima iurisprudentiae parte, quae de reipublicae
Germanorum forma, et de principum imperii iuribus

A 3 dispu-

*} L. VI. c. 51.

disputat: in quo ipse genere primum locum videtur habuisse. Quam ob caussam etiam in primis dignus fuerat, cui philosophiae practicæ demandaretur professio. Nam populorum res gestae non ideo commendantur litteris, vt habeant otiosi, quo suam oblectent inertiam, iucundequem tempus fallant: sed vt inde capiamus, et quae sequi, et quae vitare oporteat. Quod Cicero voluit, summus et orator, et philosophus, et ICtus, cum historiam *vitæ magistræ* appellauit: significans, non aliunde melius insituendae vitae publicæ priuataeque rationem hauriri posse, quam ex fonte historiarum, quae nobis innumerabilia exempla casuum euentuumque proponunt. Ecquis igitur est, qui non maximam a nobis iacturam in Frankii morte factam esse iudicet? Ego vero in primis, cum publicae rei nomine, tum etiam mea caussa, optimi senis amissione doleo, qui me, tanquam pater filium, singulariter amauit, carumque habuit, et qui rursus a me, tanquam pater a filio, magna reverentia cultus atque dilectus est.

Natus est anno huius seculo quinto, a. d. III. Idus Augusti, Teichwitii, vico haud procul Weyda in Vari-
fcis

scis sito, patre *Daniele*, verbi diuini ministro, matre *Maria Sophia*, *Henrici Philippi Alberti*, praetoris et causarum patroni apud Weydenses, filia. Non modo autem pater eius, verum etiam auus, proauus, ac multi ex eius gente alii, in illo regionis tractu sacris magna cum sanctitatis ac diligentiae laude operati fuerant *). Auus certe *Io. Frankius* in ipsa metropoli Weyda sacrorum antistes paene per quadraginta annos fuit, filiumque Danielem, nostri patrem, quatuor ultimis annis vitae, muneris sacri socium et adiutorem habuit. Eo mortuo, filius statim Teichwitium vocatus est, suscepitque ibi multos liberos e duabus vxoribus, quarum e posteriore primus noster eo anno, quo diximus, natus est. Sed hac fideli ac pia matre cum iam ineunte puerili aetate orbatus esset, auunculus, *Io. Gottlieb Alberti*, Ictus, et Ser. Saxoniae Duci Vinariensi a consiliis aulae et fisci, (qui aliquando etiam per tempus aliquod ad visitandum Camerae Imperialis iudicium ablegatus fuerat,) eum Vinarium abduxit, et domo receptum, liberaliter aluit, magnaque diligentia educandum curavit. Namque eum vna cum suo filio

prae-

*) V. KARL GOTTLÖB DIETMANNIS *Sächsische Pfeifterschaft.* III.
Band, S. 1299.

VIII

praeceptoribus doctissimis priuatim studiendum tradidit,
qui eum non modo iis humaniorum litterarum elementis,
quae puerili aetati sunt accomodata, verum etiam postea
disciplinarum quarundam altiorum, historiarum, doctrin-
ae ciuilis, et iuris denique publici, cognitione imbue-
runt, et huius in primis tractandi maximo atque acerrimo
studio, tanquam ardore quodam, animum iuuenilem in-
flamarunt. Lipsiam venit anno seculi huius viceximo
quarto, et in ciuium academicorum numerum a *Christia-*
no Friderico Boernerio, Rectore Magnifico, est relatus.
Erat tum magna *Ridigeriani* nominis fama, qui vir sum-
mo studiosorum iuuenium concursu et applausu philoso-
phiam profitebatur: quemadmodum tum etiam *Franken-*
steinio in historia ciuili, in litteraria *Kappio*, in iuris deni-
que publici doctrina *Mascouio* primae partes omnium
consensu deferebantur. His igitur viris Frankius ad has
percipiendas disciplinas praeceptoribus est vsus, et vt tan-
to aptior ad iuris elegantioris scientiam consequendam red-
deretur, *Conradum* etiam audivit, qui antiquitates iuris
Romani et rem numismaticam exponebat. Deinde non
illas tantum iuris partes, quas vt in hodierno foro maxi-
me necessarias plerique prope solas discere solent, sed
etiam

etiam ius naturale, canonicum, feudale, alia, ut cognosceret, scholas Griebneri, Riuini, Baueri, Gebaueri, Kaestneri ac Petermanni assidue frequentauit. Vnde existimari potest, ad quamicunque iuris partem se postea conferre totum voluisse, nihil ei plane defuturum fuisse. Ita probe ingenio litterarum disciplina subacto, omnem fere iuris vniuersi campum permensus, primum diligentiae fructum tulit hunc, ut sub finem anni MDCCXXVI ab amplissimo Philosophorum ordine Philosophiae et Liberalium Artium Baccalaureus, et anno proximo in solemni conuentu Magister, Procancelario ac Decano Io. Burc. Menkenio, crearetur. Eo iam honore auctus, mox ab illustri ICtorum ordine, cum in examine consueto tentatus bene stetisset, Candidatorum iuris numero adscriptus, potestatem aperiendarum scholarum iuridicarum impetravit. Etiam illud consecutus est, ut a Philosophorum ordine ipsi cura collegii rubri committeretur, nec non ut eiusdem ordinis AEtuarius deligeretur. In hoc et laboris et honoris cursu quum decem annos, et eo amplius, consumisset, denique a. MDCCXXXVII animum ad caussas in foro agendas, eius rei facultate ipsi clementissime concessa, applicare coepit.

B

Neque

Neque tamen interea praeclaris scriptis subinde edendis,
doctrinae suae fructum cum orbe erudito communicare
omisit. Quis non, post tot annos, tot labores, tot in-
tegerrimi animi specimina, crederet, lautiora et illustriora
diligentiae praemia ei tributa, ac tantum non obtrusa es-
se? Sed si quis vñquam aliis, certe Frankius noster illud vetus
ac vulgatum proverbiū quod *Lipſiam expectari* iubet,
veriuerbiū esse expertus est. Nam anno demum
M D C C X X X V I I I Professor iuris publici, et is extraordinarius,
a Friderico Augusto Poloniae Rege et Electore
Sax. designatus fuit: cuius muneric cauſsa postea decretum
est ei stipendium annum ē thalerorum. Reliqua ad sus-
tentandam vitam necessaria lectionibus et scriptis suis sibi
comparauit. Quatuordecim annorum spatium rursus
intercesserat, quum ordinaria Moralium ac Politices pro-
fessio, quae *Io. Friderici Maii* morte vacuefacta erat, ipsi
demandaretur: id quod factum est a. M D C C L X I I. Ne-
que post illud tempus, praeter mediocres huius muneric
reditus, quidquam beneficij aut honoris academici habuit,
nisi quod ab ordine suo aliquoties Procancellarius et Deca-

nus

nus electus est, et bis *) magistratum academicum gessit, et quidem summa omnium cum laude atque approbatione.

Quis non miretur et stupeat ferreum viri animum, et illud indefessum ac perpetuo flagrans tum discendi, tum docendi et scribendi studium, quod ille per tot annos, in tanta rei familiaris tenuitate, aduersus tot vndique obiecta impedimenta, constantissime semper et nihil imminutum ad finem vitae usque retinuit, neque ullo incommodo unquam ab industria officii strenue faciendo auocari fese passus est? Atque ego illud in primis olim saepe miratus sum, quo modo fieret, ut vir exquisita doctrina et immensa prorsus lectione instruetus, quem in rebus historicis viuam bibliothecam appellares, a quo me nunquam nisi doctiorem discessisse, verissime possum dicere, qui omnes fere omnium aetatum historicos perreptauerat, qui tot scriptis doctissimis inclaruerat, (quorum catalogum nuper alibi propositum **), hic non putauimus repetendum esse,) quo modo igitur fieret, ut hic vir a tam

B 2

exiguo

*) a. 1773 et 1777.

**) S. Leipziger gelehrtes Tagebuch auf das Jahr 1781, S. 64.

XII

exiguo auditorum numero frequentaretur? Sed desii
mirari, postquam animaduerti, quibus rebus plerique
iuuenes maxime duci et moueri soleant, vt alium docto-
rem alii praferendum esse existimant. Alii rogari et in-
vitari volunt: alii vocis et orationis magnificiunt suauita-
tem: alii alia specie aliqua externa capiuntur: ali et ipsi
eo conuolant, quo cateruam sodalium vident confluxisse.
At Frankius noster, suae sibi conscius virtutis, doctrinae
et integritatis, infra dignitatem suam putabat esse, offer-
re se ipsum aliis, aut scholarum suarum utilitatem cui-
quam laudare. Praeterea deerat sane viro alioqui doctissi-
mo illa suauitas oris, et linguae volubilitas, quae pluri-
mum semper apud viuidam iuuentutem habuit commen-
dationis. Erant etiam in eo antiqui et seueri mores, et
summa quaedam per omnia simplicitas: incedebat anti-
quo uestitu, alieniore illo ab nostri seculi consuetudine,
h. e. vt imperiti accipiunt, qui nihil concinnitatis et ele-
gantiae haberet. Cuius generis alias nonnullas minutias
commemorare supersedeo. Quid igitur? Vulgus discen-
tium, quod fere nihil spectat, suspicit, admiratur, nisi
speciem sensus ferentem, nullo modo se putabat profi-

cere

cere quidquam posse ab eo viro, cuius capillamentum pro-
vorum nostrorum tempore confectum videretur. — Co-
gitanti haec mihi venit in mentem epigramma festuum
poetae Germanici veteris, quod non possum quin ad-
scribam:

*Priscus hat sehr viel Verdienste, ist gelehrt — und wird
veracht:*

*Ach! der neue Modeschneider, hat ihm noch kein
Klid gemacht.*

Sed haec omnia, quamvis ingrata, nunquam tamen nec Frankium nostrum ipsum a recto diligentiae ac virtutis cursu auocarunt, nec alias viros cordatores impedierunt, quo minus eum impense amarent, eiusque laudibus, quas in republica eruditorum ex merito maximas consecutus erat, mirabiliter fauerent. Litterarum quidem commer-
cium cum eo habebant non tantum viri eruditi ac scripto-
res, in academiis aliis viuentes, verum etiam amici prin-
cipum multi, in splendidissima aularum frequentia consti-
tuti. Et plurima, eaque valde insignia, fauoris in eum
specimina Principes ipsi ediderunt. Ita Henricus, Prin-
ceps Schwarzburgico - Sondershusanus, eum dignatus

B 3 est

XIII

est, cui dignitatem Comitis Palatini Caesarei vltro con-
ferret. *)

Statura corporis erat nec breuis, nec nimis longa,
sed ea, quae ipso adspctu virum grauem indicaret, qui
aptius inter senes, quam inter iuuenes versaretur. Ani-
mi autem integritas et candor erat prseus: dictis factis-
que omnibus veritas constabat: nihil tefti, callidi, aut
simulati: nemini non statim eius rectus ac simplex ani-
mus patebat.

Vixit in coelibatu. Frugalitate tanta erat, vt, licet
in re permediocri constitutus, tamen paulatim biblio-
thecam sibi colligeret multo instructissimam, maxime in
genere historico et iuridico. Ex huius bibliothecae ven-
ditione quae pecunia fuisset coacta, eam Philosophorum
in Academia nostra Ordini legavit, vt ex foenore tum
stipendia distribuerentur litterarum studiosis, tum alia
quoque legata certis personis quibusdam soluerentur. O
exemplum imitatione dignissimum!

Obiit anno abhinc, die XIII Sept. triduo post ma-
gnum Ernestium, marasmo, quem medici vocant, senili,

et

*) a. 1749.

et astmate. Mortem expectauit non inuitus, quippe animo bene praeparato, vt virum Christianum et philosophum practicum decebat. Obdormiuit placide, quum vixisset in his terris annos sex et septuaginta, mensem vnum, ac dies quatuor. Sed viuet ille perpetuo in animis eorum omnium, quibus eum nosse contigerat, et qui de veris doctorum virorum meritis recte possunt iudicare; in primis autem in mentibus eorum, qui ex huius Academiae ciuibis in posterum eius liberalitatis, per stipendia legata demonstratae, participes fient. Quibus quidem illius memoriam, et virtutum eius, quas supra praedicauimus, exemplum vehementer etiam atque etiam cupio commendatum esse.

Nunc ad illud veniam, cuius caussa haec scripta sunt.
 Nempe RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, CELSIS-
 SIMOS PRINCIPES, ILLVSTRISSIMOS COMITES, GRAVISSI-
 MOS VTRIVSQVE REIPVBLCAE PROCERES, COMMILITO-
 NES denique GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS, ea qua
 quemque par est, reuerentia, obseruantia, et humanita-
 te rogo, vt futuro die XXXI Augusti, hora VIII, oratio-
 ni meae aditiali

De

XVI

De probitate Philosopho necessaria,
et gratiarum actioni, et votis pro salute Optimi Principis, vt

Seru in coelum redeat, diuque
Laetus intersit populo beato,

interesse, meque dicentem benigne et attente audire vellint. Quod ab ipsis beneficium vt exspectem, non modo solita eorum erga omnes comitas et humanitas, sed etiam singularia, quae in me plerique antea ediderunt, favoris ac bencuolentiae specimina, efficiunt. P. P. in Vniuersitate litter. et artium Lipsiensi, Dom. XIII p. F. Trin.

MDCCCLXXXII

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAUBARTHIA

ZG 1947 OK




VD 78

MC.



M.C.



AK. 292

AD AVDIENDAM

IV, 279

ORATIONEM ADITIALEM

D. XXXI AVG. MDCCCLXXXII

NOVI MVNERIS CAVSSA HABENDAM
 RECTOREM A CAD. MAGNIFICVM
 CELSISSIMOS PRINCIPES
 ILLVSTRISSIMOS COMITES
 VTRIVSQUE REIP. PROCERES GRAVISSIMOS
 COMMILITONES GENEROSISSIMOS
 ET NOBILISSIMOS
 HVMANISSIME INVITAT
IO GEORGIVS ECCIVS
 MORAL. ET POLIT. PROFESSOR

Dicitur

de vita Antecessoris in munere

B. HENRICI GOTTLIEB FRANKII

